



CHRISTOPHORI
FINOTTI VENETI
In Funere
IOANNIS MEDICES
DVCIS
VENETARVM COPIARVM MAXIMI
Oratio

HABITA IVSSV PRINCIPIS, ET SENATVS

In Augustissimis

D. D. PAVLI, ET IOANNIS AEDIBVS,
III. Cal. Sept. M. DC. XXI.



VENETIIS, Apud Antonium Pinellum, 1621.

SVPERIORVM PERMISSV.



Illustris. & Reuerendis. D.

D. CAROLO MEDICES
PRINCIPI,
ET S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Christophorus Finottus S. P. P.



N funere IOANNIS MEDICES, Cardinalis, & Princeps Augustissime, quod magno cum splendore Venetijs, non sine graui doloris sensu celebratum est, hanc ego illius de laudibus Senatus iussu, qualem pro mea tenuitate potui, habui orationem. Non illam certè summis Inuidiissimi Ducis meritis, et egregijs facinoribus respondentem; sed tamen tum Veneti Senatus studio, & præclara in demortuum voluntate plenam, tum verò etiã incredibili quadam in vniuersam Gentem MEDICEAM obseruantia, & cultu refertam. Binis autem de causis tuo Illustrissimo Nomini dicendam existimaui. Prima que tua est, quòd mutua vos magna, et singulari beneuolentia complectebamini, & nexu illo amoris potentiori, quàm propinquitatis obstrieti, inuicem vos vtrique mirificè colebatis. Altera que mea est, quòd eam de te conceptam spem habeo, que tua est singularis humanitas, vt que fuerint à me dicta de Viro tui obseruantissimo, quamuis incompta, exilia, parum digna, ea facillimè, si quando opus fuerit, tua dignitate amplissima, tanquam patrocinio firmissimo tueare. Non potuit, crede mihi, Senatus Venetus, & Vrbs tota esse in IOANNEM officiosior, quàm fuit, que illi & uiuentem

viuentem tanti fecit, et tanto mortuū honorē affectit, vt et splen-
didissimo funeris apparatu extulerit, & sua Virum Laudatissi-
mum laudatione fraudari noluerit. Quae vt excepta est Corona
multiplici, & erectissima, ita tibi quoquē iri probatam puto,
Cardinalis Amplissime, vbi non qui dixerit, aut quomodo dixe-
rit, sed quid dixerit, de quo dixerit, cuius nomine dixerit, ami-
cis oculis, vt omnia soles, inspexeris. Poterat, fateor, eloquen-
tiori Oratori honestandi Funeris Provincia demandari, nemini
tamen deferri poterat, qui vel ardentiore studio & conatu de
eo diceret, vel libentiore animo Principi, & Senatui obtempe-
raret. Quamquam enim eloquentia, & ingenio parum valeo,
hoc vno me saltem natura donauit munere, vt virtutem vbi que
amandam, Nobilitati verò adiunctam, etiam piē, sanctēq; colen-
dam existimem. At MEDICEO Genere Ser.^{mo} quid sublimius?
Quid longa Magnorum Principum, Ducum, Heroum Clarissi-
morum Serie gloriosius? Quid Domi, Militiæq; præstantius?
Quid in Italia & magnitudine Imperij, & Amplissimorum
Principum, & Maximorum Regum, & Summorum Pontifi-
cum affinitate illustrius? Nolo plura dicere, nè transeam litte-
rarum fines. Illud abs te contendo, Cardinalis Illustrissime,
vt hoc qualecumque opus ingenij in laudem vnius è Serenissi-
sima tua Familia laboratum, libenter accipias, & si quid est
omissum, pro tua benignitate incredibili, temporis tantummodo
angustijs, & virium imbecillitate excuses. Id si feceris, erit
mibi gratissimum. Sic enim & meum hoc laudationis officium
intelliget Respublica Veneta, cuius mandato est præstitum, tibi
non planè displicuisse, & ipse quòd mirandum in modum cupio,
arbitror illi me plurimum placuisse. Vale.

Venetijs Non. Septemb. M. DC. XXI.

ORATIO.



IOANNEM MEDICES Florentiæ
Virum Primarium, Generis claritate Am-
plissimi Præcellentissimum, Militaris Di-
sciplinæ gloria celeberrimum, Oppido-
rum, & Urbium Expugnatorem Fortissi-
mum, Classium Maximarum Præto-
rem, Exercituumq; Amplissimum, Venetarum
postremò Ducem Copiarum Augustissi-
mum, ad Sextiles Calendas quarto, & decimo, funestissimo obi-
tus mœrore, & minus expectato communis Fati vulnere sublatum,
magno cum squallore Urbis, ac dolore omnium hac luce efferimus
mœsta cum pompa. Triste quidem officium, sed IOANNIS
merito, Venetæ Pietati, ac Sapientiæ debitum, & quia debitum,
iusti etiam nomine à veteribus appellatum; quòd supremum istud
humanitatis officium, quod quidam aurea quidem sententia, sed
ferreis tamen verbis honorem supremi-
tatis expressit, ac melius alij
extremum humanæ conditionis honorem nominarunt, demortuis
ritè conferri, pijsq; manibus pio solemnium iustorum ritu paren-
tari iustissimum videatur; præsertim si viuentes suis sint beneficijs,
& præsentium pietatem, & posterorum beneuolentiam consecuti,
eorumq; vita Rei admodum publicæ, Patriæq; toti profuerit. Et
verò, vt verè dicam, dum per amplum hoc funus IOANNI
MEDICES Duci Optimo, Senatus Consulto decretum vi-
deo, digna satis laudatione commendare non possum N. N. con-
stantem illam in hoc officij genere, & perpetuam Maiorum nostro-
rum non in suos tantum Ciues, sed multò magis in externos gratif-
simam voluntatem, vt qui per vitam suam de nobis merendi opti-
mè studium, egregio quopiam facinore edito declarassent, vel hone-
sta morte ob Rempublicam obita, suam nobis vitam, animamq;
donassent, ijdem tametsi mortui, si quis est mortuis sensus, vt esse
credendum est, suo se tamen affectos digno gratiarum fructu, ac
mercede laborum agnoscerent, & quando, quod Diuinæ tantum
est facultatis, in vitam reuocari non possent, saltem quod Morta-
libus

libus posse datur, vitæ Immortalis insignia, funus honorificum, labellum amplum, & nobile, honestam sepulturæ pompam, pulcherrimam laudationem, æreas, vel lapideas statuas, vix vnquam abolendas imagines, & sempiternam, quod multò est ad famam illustrius, & ad gloriam magnificentius, gratissimorum animorum memoriam reportarent. Opinabantur Maiores nostri, quantum conijcio N. ac verè opinabantur, hac ratione non eos tantum præmijs, atq; honoribus affici, qui ob actiones egregias, & facta laudabilia omni se dignos honorum genere præstitissent, sed alios eodem exemplo complures ad illud vitæ genus honestissimum persequendum, præmiorum, atq; honorum illectos expectatione, cupidissime inflammari. Sic apud Veteres sepulchra ipsa legimus plerumque extasse propter vias militares, & publicas, non tam vt prætereuntes admonerent mortalitatis, quàm vt intuentes spe commouerent immortalitatis. Et ingentes illæ moles, quæ humatis cadaueribus imponebantur è saxo quadratæ magnifico, ornabantur hermis, mensis, labellis, epitaphijs, carminibus, statuis, obeliscis præcipuè, & columnis, quod postremum erat splendidissimum, ac Regibus proprium, vt essent videlicet tum mortuorum virtutis, & gloriæ insigne apud posteros monumentum, tum etiam viuis præsentissimum ad omne decus, & gloriam incitamentum. Huc ergò spectauit semper Nostrorum Maiorum pietas N. vt beneuolo animo prosequerentur beneuolos mortuos, efferrent honorificè, ingenti cum pompa, cultuq; humarent, & pleniore, vt dicitur, ore, ac spiritu celebrarent; quò non ij solum, qui tantum illis honorem habitum conspexissent, sed qui eundem ex litterarum monumentis, aut aliorum sermonibus percepissent, spiritum, atque animos fumerent, ad egregiam vel cum morte operam Reipublicæ Venetæ, strenuamq; nauandam. Eòdem spectat nostra hæc in IOANNEM MEDICES Virum Excellentissimum pietas, hæc suprema, & honestissima Iustorum, Funerisq; celebritas, hic frequens totius huc concursus Viribus, & squallor, hæc piæ preces piorum hominum, indicta hæc supplicatio, hæc à Senatu gratissimo Duci laudatissimo decreta, & mihi demandata laudatio. Mortuo videlicet Viro honorem facimus N. vt Heroem Amplissimum gloriosè defunctum, atq; è Mundi gloria in Cœli gloriam, lucemq; translatum, glorioso exequiarum

rum mun
omnes, &
IOAN
si putem
mus, & q
exposuit
mortales
IOAN
ipsa in i
Patritio
tas, qua
tatibus,
illum P
extitisse
Veneti
quam i
tium fu
Ædem
forum
remq;
riæ, la
Trium
ampli
audiat
ribus
bita ef
plioris
comp
pum
cessio
DIO
Sit in
nesti
Præ
CE
IO

rum munere prosequamur, sicquè ad eius imitationem præsentem
omnes, & posteros reportandæ spe amplissima gloriæ prouocemus.
IOANNI MEDICEO mortuo honorem facimus, quem
si putemus in vitam per nos restitui posse, omni contentione veli-
mus, & qui mortalem vitam nostra causa, quam hostilibus sæpe telis
exposuit, æquo, ac libenti animo profudisset, eidem, si possemus, im-
mortalem vitam libentissimè redderemus. Promeretur hoc certè
IOANNIS inuictissima illa mens, atque animus, ingens illa
ipsa in istam Patriam pietas, summus in Rempublicam amor, in
Patrios studium, in Ciues beneuolentia, in totam Urbem humani-
tas, quam omni tempore, omni conatu, nulli parcens incommodi-
tatibus, nullis impendijs egregiam demonstrauit. At enim Heroem
illum Præstantissimum, & Virum omni laudatione dignissimum
exitisse, singulari propemodum amore, & perpetua quadam erga
Veneti nominis dignitatem, atq; amplitudinem voluntate, hæc ipsa,
quam intuemur, moestissima Templi facies, hæc Ægyptia prælucen-
tium funalium piramydata moles, hæc circum dispositæ per totam
Ædem imagines, pullatæ aræ, atratæ personæ, sacra, preces, vniuer-
forum lachrymæ contestantur; vt quoquò versus animum, men-
temq; conijcio, videam mihi obuersari ob oculos admonitores glo-
riæ, laudabilium actionum decantatores, Victoriarum tubicines,
Triumphorum præcones, famam ipsam **IOANNIS MEDICES**,
amplitudinem, gloriam nullo tempore oblitterandam. Nolo enim
audiatis hoc loco N. quæ Rethorum præscripto à Patria, & Maio-
ribus Nobilitatis splendor mutuat ornamenta. Quamquam eò ha-
bita est semper apud Sapientes homines illustrior gloria, quò am-
plioribus est diducta spatijs, & celebrior laus, quò difficiliori campo
comparata; & in Heroum præsertim, ac Præstantissimorum Princi-
pum numero factis illustribus eminere, omnium est assensu, & con-
cessione laboriosum. Sed in hunc excurrere de **IOANNE ME-
DICEO** apud vos locum, importuni esse arbitror Laudatoris.
Sit insigne hoc Elogium, ac perillustre satis. In Theatro Italiae ho-
nestissimo, Florentiæ Urbem nobilem, Clarissimamq; intelligo,
Præcellentissimo Imaginum Illustrissimarum Campo, **MEDI-
CEVM** Genus Serenissimum denoto, Spectabilem floruisse
IOANNEM honorum Auctoramentis, Stematibus Genti-
litijs,

litij, Militaribus Paludamentis, Infulis Pontificijs, Principatus In-
signibus, Victorijs, Triumphis, Fascibus, non vulgaribus titulis, &
honoribus commendatum. Equidem exultare oratione possum
N. hoc ingressus vestibulum laudationis, quod explicata series Ma-
gnorum Hetruriae Ducum, Imperatorum, Principum, Praesulum,
Cardinalium, Summorumq; Pontificum facit patentissimum,
Habeo enim in **MEDICEORVM** Familia Serenissima,
quae recognoscam ab Amplissimis Viris praescripta verae nobilita-
tis, & gloriae ornamenta. Non ea quidem, quae statim cuiusque oc-
currunt oculis, atque animo, quibus Parietes Aedium, & Atria ador-
nantur, Domesticarum Imaginum, & Tabularum; habeo longè
maxima, longè praestantissima, quae & Doctissimorum Historico-
rum ingenia, & Disertissimorum Oratorum ora longum tempus
defatigarunt. Sed non opus illa repetere praesertim nota, quae fuere
IOANNI cum tot, ac tantis communia; quando propria habe-
mus innumera, quae ad sui commendationem inuitant, & rapiunt
orationem. Mittam ergò libenter Generis laudationem, atque ad
earum me rerum praedicationem conuertam, quibus ille ipse, cui
Parentalis apploratur dies, non alienis, sed suis, non extrinsecus ad-
scitis, sed proprijs, vi ingenij, militiaeq; opera comparatis gloria-
bundus incessit. Nec ibo N. per vsitatos Oratorum locos, vt omnes
vitae aetates, aut genera bonorum laudando persequar; his enim sic
affluxit **IOANNES**, vt obruat copia profluentiam oratio-
nis; eas ita produxit, vt iustam singulae vitae partes orationem desi-
derent. Ad eam me primò virtutum distributionem reuoco, quae
Heroicum animum, qualem extitisse **IOANNIS** actiones
praedicant, praeclearis verè dotibus, partibusq; exornant. Hae verò
duae sunt, Togata vna, Militaris altera. Hae belli tempestate con-
spicua; Illa pacis. Hae publicae saluti, & commodo; Illa fructui
priuato accommoda. Hae ad defendendos, ac proferendos, si libet,
fines Imperij nata; Illa ad humanae Societatis, & amicitiae vinculum
comparata. Hae suis hostibus, partis Victorijs, Urbibus expugna-
perturbationibus, cupiditatibus refrænandis, virtutum facibus ex-
citandis aptissima. Clarè dicam, vt omnes intelligant. Hac ar-
morum tractatio; Illa doctrinarum gloria continetur. Vtraque
ama-

amabilis, vtraque gloriosa, Summorum præsertim Principum cognitione, ac studio digna. Hæ res duæ, quæ iamdiu de Principatu, & dignitate, summa inter se contentione disceptant, nullo unquam futuro Iudice, vtra sit illustrior, atque optabilior, duplicem exercendæ virtutis Palæstram faciunt, in qua qui veræ laudis, & gloriæ viam ingreditur, gloriosè defudet. Et quoniam perdifficile est, atque omni negotio maius, versatile ad vtramque ingenium obtinere, quod maximè distractas, & longo interuallo distitas rationes habet, iure optimo qui hac duplici honestarum actionum parte gloriosus elucet, celebramus humano fastigio celsiorem. Iam verò IOANNES MEDICES Heros gloriosissimus vtramque humanæ vitæ Palæstram ita exercuit, ita ad gloriam, & celebritatem nominis insudauit, vt quia non multos habebat superiores, ipsum se sibi aliquando proponeret superandum. Itaque in eo, quod mirabile dictu est, nec in multis compertum, & armati Ducis virtutem Imperatoriam Paludatam, & Pacifici Principis Togatam Maiestatem vereri licet, ac reuereri. Quid enim non ea causa sapienter egit ineuntis Adoleſcentiæ primordijs, quò præclarum illum, & nobilem animum, quem hæreditario iure acceperat à Maioribus, singulari modestia, probitate, aureisq; moribus exornatum, earum quoque facultatum luminibus decoraret, quas solas nobiscum è naufragio, & incendijs enatare, Cyrenenses Aristippus ille dicto, factoque admonuit, & Regno pulsus Dionysius ille Iunior suo ipsius experimento comprobauit. Præter eas artes, & litteras, quæ primò humanam mentem expoliunt, ab humanitate cognomento humaniores, pulcherrima disciplinarum semina, & fundamenta, grauioribus se quibusque, ac seuerioribus studijs mira solertia totum dedit. Itaque quis eo unquam euasit in arcanis naturæ peruestigandis acutior! quis in rimandis, ac dignoscendis rerum proprietatibus promptior! quis in commentando Cælorum, Syderum, Planetarum cursu peritior! quis scientiarum Mathematicarum vsu, notitiâq; instructior! quis Politicis Disciplinis ornatior! quis eloquentiæ fontibus plenior! quis Musarum lepore concinnior! quis historiarum lectione profundior! quis in dicendo felicior! quis inscribendo suauior! Dicam breui. Ornatissimus bonarum Artium omni genere IOANNIS animus fuit. Com-

parauit celeriter felicitate ingenij doctrinas omnes, & quò paratior ad Imperatoria munera capeffenda accederet, è solidis Philosophorum, atque eruditiffimorum Virorum disputationibus moderandæ Reipublicæ sententias, enunciata, leges deprompsit, memoriaq; absorbuit. Vt mirum planè videri possit, in militari ingenio tantam exarffisse cupiditatem, ac sitim earum Artium, quæ Togam magis, quàm Sagum, Curiam, quàm Castra, Forum, quàm Aciem, Leges, quàm tela, pacatos, quàm armatos decent. Quid enim hoc loco recenseam N. quàm multa IOANNES orationis varietate, quàm insigni Idiomatum multorum intelligentia, quàm mira linguarum super humanam ferè cogitationem excellentia floruit? qui præter natiuam eloquentiam, hoc est, Italam, quæ tantum valuit, quantum nemo alius, calluit linguarum generamplius octo. Nam siue Gallico Idiome loquendum, siue Anglico, Germano, Hispano, Belgico, siue Latini, Græci, Hebraiciq; eloquij opus esset, nihil cogitari vnquam potuit. IOANNEMEDICEO eloquentius, nihil admirabilius, nihil ornatius. Inuitus ferè in hac parte orationis moror N. quòd vereor, nè illa, quæ dico, è veterum laudationum formula decerpta videantur, & dicta magis, vt effingatur forma laudatiffimi Principis, quàm quòd IOANNEM talem fuisse contigerit. Quod non ita est. Neque enim aut IOANNES is fuit, qui sit ornandus falsis laudibus, aut vos onerandi mendaci oratione; neque ego vos ineptæ assentationis meæ velim habere Iudices accusante conscientia. Ita se res habet, vt dico. Omni cultura ingenij, & liberalium Doctrinarum laurea pulcherrimus IOANNIS animus ornatus fuit; cuius rei vos ipsos appello testes Optimates, Principes, Reges, Imperatores, Pontifices, qui IOANNEM frequenti consuetudine allocuti, illum vel ex tempore de rebus omnibus doctiffimè differentem, commentantem, respondentem ad omnia, proponentem, obijcientem, consilia explicantem, facta vetera referentem, multa etiam antequam fierent, præmonentem audistis. Vt quemadmodum olim factum ab Anaxagora legimus, qui Cælo fereno imbrem, à Pherecide, qui naufragium mari tranquillo, ab Anaximandro, qui motum Terræ, ac nè plures memorem, à Thalete Milesio, qui oleæ vbertatem, & Solis defectionem prænuucia-

uit,

uit, ita m
IOANN
litteraturæ
prædicant
doctiffima
cherrimæ
noto teru
uulgantur
rem dicen
cantiones
cæ studi
uina con
partibus
rijs benè
tanto eti
ratione v
incredib
roem igi
O' IO
quàm c
fonte sc
omnibu
tæ, qua
quasq;
quòd o
rè præd
ria N.
statem
cipum
tunæ d
uis ma
rum d
fluent
instru
exam
impo

uit, ita multa communicantem Mortalibus abstrusa mysteria.
IOANNEM MEDICES Virum Doctissimum, & omni
litteraturæ genere ornatissimum Mundus persenserit. Quid enim
prædicant, quid testantur tot consignata litteris à **IOANNE**
doctissima, & ornatissima monumenta! Quid Orationes illæ pul-
cherrimæ, & elegantissimæ, quæ ignoto nomine, Auctore tamen
noto teruntur studiosorum manibus, & fama doctorum celebri di-
uulgantur! an non Tullianam videntur vobis facundiam, & lepo-
rem dicendi Atticum redolere! Et illa **IOANNIS** carmina,
cantiones, poemata, quæ leguntur, an non singulare artis Poeti-
cæ studium, præstantiamq; commendant! Et illa de Veritate Di-
uina contexta volumina, ij libelli perelegantes, & aurei, tum de
partibus Equitis egregiè obeundis, tum de Principatibus, & Impe-
rijs benè administrandis, qui tanta cum sui celebratione nominis,
tanto etiam Posterorum fructu, non sine omnium singulari admi-
ratione voluuntur! an non **MEDICE Æ** Sapientiæ gloriam
incredibilem, & immortalem virtutis famam deprædicant! O' He-
roem igitur in celeberrimo litteratorum Musæo facilè Principem.
O' **IOANNEM**, ò Ducem plus quàm credi, plus etiam
quàm cogitari potest, Sapiientissimum. Hinc illi deinde velut è
fonte scientiarum diducti ad agendum riuuli, prudentia rebus in
omnibus, moderatio, dexteritas, integritas, pietas, aliæq; sexcen-
tæ, quarum esse compos vix potest animus, qui litteris expers est,
quasq; qui obtinet, is verè dici debet onustus sapientiæ merce,
quòd optima iecerit fundamenta in virtute, atque honestate. Qua-
rè prædiuitem **IOANNEM** dixero, & omni cumulatam glo-
ria N. qui præter opes; diuitias, nobilitatem generis, oris venu-
statem, gratiam apud omnes, & dignitatem, Maximorum Prin-
cipum studia, Vulgi amorem, nobilium obseruantiam, & alia for-
tunæ dona plurima, optimam sibi sapientiæ mercem thesauro quo-
uis maximo potiore comparauit. Intelligebat profectò, etsi vi-
rum dederis clarissimis ortum natalibus, refertum pecunijs, circum-
fluentem copijs, rebus omnibus abundantem, si vno tantum careat
instrumento doctrinarum, quas virtus consequitur, & rem suis
examines momentis, neque ex fucata illa diuitiarum specie oculi
imponant animo, affulgentem illam Generis nobilitatem nihil ei
aliud

aliud conferre, quam vt infamia notior, opum præstantiam, ve
inopia maior, feruorum copiam, vt solitudine miserior videatur.
Namque vt longum præeat, ac sequatur famulantium agmen, &
longè venientem elatus puluis ostendat, interim aliquis non deerit
Crates, qui inflato homini, & sua magnificè circumspicienti, suosq;
adnumeranti, in aurem insufurrabit, miseret me solitudinis tuæ.
Quid enim non eum appelles solum, qui secum nusquam est, secum
non loquitur, semper ad exteriora se porrigit! qui si deseratur à re-
bus, quas videtur habere, deseretur ab omnibus. Solus est, qui
expers doctrinæ est; miser est, quia solus. Quò ergò beator vide-
ri debet, & omni bonorum genere IOANNES instructior,
qui nè vnquam esset solus, qui nunquam poterat esse solus, præsti-
dia doctrinarum, virtutumq; omnium lumina, & ornamenta, re-
liqua cum dignitate coniunxit, quò sic fieret administrandæ Rei-
publicæ, Populis, ac Gentibus moderandis, & Imperatoriæ Per-
sonæ sustinendæ accommodatior, quò illum præcipuè claritas san-
guinis, natalium splendor, Auorum imagines, Maiorum exem-
pla, naturæ cum primis singularis quædam propensio, ac robur in-
uictum animi euocabant. Quid enim, & quantum valeat quam-
quam animosus Imperator in acie, earum præsidio facultatum, &
ope artium destitutus, quibus sæpe ad pugnam animandi accidunt
milites, sæpe etiam cohibendi; consolandi donis propositis aliquan-
do, aliàs deterrendi; interdum aduersus hostes incitandi, sæpe etiam
reuocandi; nunc in officio continendi, nunc à facinoribus dehortan-
di; nunc præmiorum expectatione, nunc suppliciorum metu com-
mouendi. Quid scio! ea plerumque incidunt tempora, quibus to-
gata disciplinæ maximè omnium necessaria videantur in castris,
ijsq; vnis magni sæpe exercitus profligati, magnæ partæ victoriæ
debeantur. Didicerat hoc à Maioribus IOANNES Inuictis-
simus, lectione compererat, Præstantissimorum Imperatorum vsu,
& exemplo firmarat. Quamobrem ipse quòd animus pacis arti-
bus expositum, & togata velut militia clarum ad militares discipli-
nās, bellicasq; artes applicuit, mirum est, quanta semper tum fa-
cilitate, tum etiam felicitate Imperatorios fasces gesserit, exercitus
gubernarit, acies instruxerit, hostes profligarit, Vrbes ceperit, Op-
pida expugnarit, victorias, & triumphos pepererit, eorumq; qui-
bus

bus egr
Regum
Crescit
me lati
gis nih
licet vt
IOAN
maxim
parten
felicet
dicam
moral
animo
rum n
debea
pian
nium
super
cum
alius
semp
terat
glor
hoc
priu
rand
ueni
ergo
exer
xan
nar
præ
edit
Tri
Qu
atq

bus egregiam semper, ac fidelem nauauit operam, Imperatorum,
Regum, Principum, Imperij, ac Ditionis terminos propagari.
Crescit mihi opus N. & quò progredior magis, eò in vastiorem
me latitudinem, & quasi profundum coniectum video. Quò ma-
gis nihil intermitteri debet de vestræ aura benignitatis, vt recto vide-
licet vtens cursu in portum perueniam incolumis; idest, vt de
IOANNIS MEDICES Ducis Copiarum Maximi rebus
maximis me dicentem libentissimè audiatis. Venio enim ad illam
partem, ad quam æstus me iam quidam orationis adduxit, qua
scilicet de bellicis laudibus est dicendum. Hic autem quid primum
dicam, aut maximum! aut quid potissimum in tanta factorum me-
morabilium multitudine conticebo! Certè vt quidque occurrit
animo, præstantissimum videtur, atque optimum. Sic obruo re-
rum multitudine, ac numero, magisq; addubito, quid relinquere
debeam, quàm quærant laudatores alij, quid loquantur. Sic ino-
piam copia parit; mensq; ipsa hæret in re deligenda, quæ sit om-
nium maxima, quando pares inter innumeras reperire non potest
superiorem. Vidistis enim uerò frequenter in aquis tranquillis,
cum in eas perparuus iniectus lapis tanquam centrum effecerit,
alius deinde ex alio veluti circumductus circino circulus explicatur,
semperq; nouissimus exurgens, atque in superficiem dilatatus obli-
terat externum. Idem in præsentia accidit mihi, dum militarem
gloriam **IOANNIS MEDICEI** récolo; nunc videlicet
hoc cogitanti occurrit animo, nunc rursus aliud emergit, & quod
prius influxerat, rapit, & absorbet. Quocirca distrahitur delibe-
rando animus, dum id, quod prius dicendum sese obiecerat, super-
uenienti alteri obsequitur, ac propemodum cedit loco. Prædicent
ergò alij, & extollant laudibus, quam primò **IOANNES**
exercuit Militiæ Disciplinam etiamnum adolescens in Belgio, Ale-
xandro Farnesio Parmæ, & Placentiæ Duce Serenissimo, Hispa-
narum Imperatore Gentium Maximo; & pugnas illas nobiles, ac
præclara facinora tanta cum laude consilij, sapientiæ, fortitudinis
edita, splendida ratione dicendi, & ornatissima prosequantur.
Triumphos alij celebrent, quos duxit in Gallia apud Henricum
Quartum Gloriosi Nominis Galliarum Regem Potentissimum;
atque ob præstantiam in re militari, & excellentiam, quàm carus,
quàm

quàm admirabilis, quanto in honore, & amore apud omnes fuerit, non tantum milites, Centuriones, Tribunos, Præfectos, Duces, sed cum ipsum Regem Inuictissimum, qui solus virtute bellica vel æquauit superiorum Imperatorum gloriam, vel excessit, studiosè decantent. Sint denique, nè plura enumerando confecer, qui trophæa referant, efferantq; illustria, quæ IOANNES MEDICEVS apud Germanos in Amplissimo Pannoniæ Regno, Rodulpho Secundo Imperatore Christianorum Augustissimo, Barbaris, Ferisq; ex hostibus, magna cum sui celebritate nominis reportauit. Aliud mihi propositum est. N. ea scilicet quàm breuissimè persequi, quæ IOANNES Dux Egregius ad Forum Iulij pro Republica Veneta perquàm honorificè gessit, & quibus præclaram expressit, atque imitandam effigiem Ducis verè Sapientissimi, publicam salutem, & dignitatem in omni re, consilioq; spectantis. Quamquam fortasse huic etiam causæ conducere admodum aliquis opinabitur, vt superiora quoquè illa, quæ omnium præconio commendantur, tacitè à me vobis subijciantur in mentem, quò sic facilius & ijs, quæ dicam illum proximè nos egisse, fides habeatur, & nihil apud vos de veritate consequentium detrahatur. Exardebant ergò belli faces in Belgio, nam à Belgio libet redordiri Prouincia illa nobili, & maximè celebrata armorum, militiaeq; magistra, inter Philippum Secundum Magni Nominis Hispaniarum Regem, & Belgarum Principes Potentissimos excitatæ. Iamq; annos amplius decem magnis, validisq; exercitiibus, expeditissimis classibus, multis Equitum, ac Peditum Copijs fuerat vtrinque summa contentione, & multa etiam internecione pugnarum. Et quia cum ferocissimis, & Inuictissimis Nationibus res erat, vietus aliquando Hispanus, multò sæpius victor, sanguinolenta duntaxat victoria pugnacissimas illas Gentes superarat. Mitto cætera; nam longum esset omnia persequi virtutis MEDICÆ monumenta. Ad Ostendæ Oppidum pugnabatur salutis anno supra mille primo, & sexcentesimo; ad Arcem illam videlicet situ, & natura loci munitissimam, fossis, aggeribus, & manufactis munitionibus circumseptam, præsidio militum, tormentis, machinis, conmeatu generis omnis, & apparatu omni bellico instructissimam. Quæ Ciuitas diuturna obsidione vallata, ad dedica-

tionem nu
Ciuius, i
torijs in
ac ferocia
Copiaru
IOAN
Quanta e
Farnesio
tus in cele
admirabi
næ, ac p
struendis
tandis, f
præcipuè
licis quàn
niensem r
ante host
loca occu
trecentis
mille na
ciam lib
nus ling
Philipp
minis in
Inuictif
plorata
rias, ob
gna ex
belland
gnatoro
gnus ab
tate per
quid co
nem ill
bat hin
exercit

tionem nunquam compulsa, auspiciata libertatis vexilla præferens
Ciuibus, inauspicatas armorum faces eruptionibus sæpe factis, ten-
torijs inimicorum intulerat, eosq; vel solo fuderat terrore nominis,
ac ferociæ fama, & virtutis clamore profligarat. Aderat cum alijs
Copiarum Præfectis, & Ducibus ad eius expugnationem Oppidi
IOANNES MEDICEVS. Quid autem ibi bone Deus?
Quanta emicuit tum annis ante duo de viginti Summo Imperatore
Farnesio, tum eo ipso tempore **MEDICEA** Virtus? Quan-
tus in celebri illo conflictu, & certamine ardor animi? Quanta in
admirabili illa victoria, & Urbis expugnatione militaris discipli-
næ, ac peritiæ gloria, siue in præripiendis hostium consilijs, ac
struendis insidijs, siue in adornandis machinis, & militibus adhor-
tandis, siue demum in idoneis pugnæ locis occupandis; quibus
præcipuè artibus Imperatorum, & Ducum prudentia in rebus bel-
licis quàm maximè commendatur. Sic Themistoclem illum Athe-
niensem memoriæ vi nobilissimum celebratum ferunt, quòd inultò
ante hostium consilia præuerteret, & in configendo idonea pugnæ
loca occuparet. Testatur Salamis clarissimæ testis illa victoriæ, vbi
trecentis tantum nauibus angustias quasdam, faucesq; præcludens,
mille nauium Persarum Classem deuicit, fugauit, & seruitute Græ-
ciam liberauit. Sic Philippus ille Alexandri Parens, qui non mi-
nus lingua valuisse fertur, & arte, quàm manu. Sic Alexander
Philippi Filius, qui Parentis gloriam obiecta sui magnitudine no-
minis inobscurauit. Sic Pyrrhus, & alij. Quocirca **IOANNES**
Inuictissimus vel ab eo die, quo militauerat sub Farnesio, ob ex-
ploratam eius animi magnitudinem, ob deuictas insignes victo-
rias, ob palmas, & triumphos nobiles consilio, & virtute sua ma-
gna ex parte paratos, nouis semper progressionibus amplificatam
bellandi gloriam dissipando, extincto illo acerrimo fidei propu-
gnatore Farnesio, Magnus vbique Gentium Militiæ Dux, Ma-
gnus ab Exercitibus Imperator appellari, & summa famæ celebri-
tate personam cœpit Imperatoriam sustinere. Deum Immortalem,
quid cogitari, aut fingi potest ad gloriam maius, ad commendatio-
nem illustrius! Quid nunc N. de bello illo teterrimo, quo deflagra-
bat hinc sex, & viginti annis Hungaria! Cum Turcæ immensis
exercitibus, ferro, & incendijs omnia permiscebant. Quàm erecto,
&

& infracto animo, quàm validis copijs **IOANNES** occurrit!
quàm sæpe hostiles acies disiecit, & Barbarorum Gentes sæda in-
ternecone confecit! Dictu mirabile est, quàm egregiam tum tem-
poris Rodulpho Imperatori, Reipublicæq; Christianæ, quàm
promptam, quàm fidelem, ac triumphantem operam, tum milita-
rium tormentorum Gubernator Maximus, tum Ductor Copia-
rum, & Imperator acerrimus **IOANNES** nauavit. Dum
insolenti audacia, animisq; inflata Turcarum Gens illa perdita,
Ducibus crudelissimis ad depopulandum Hungariæ Regnum, &
Christianorum Genus delendum, & multitudine Signorum, &
Barbarorum ferocia, & usu vincendi formidolosissima rapiebatur.
Cuius impetus cum ad Iauarini Oppidum longe munitissimum
constitisset, quo expugnato reliquum sibi facilem victoriæ cursum
non malè pollicebatur, putaretq; suis è faucibus, & ore audivissimo
Cæsaris copias multò minores eripi non posse, nec diu Arcem il-
lam tametsi natura loci, artificioq; munitam contineri, sed obsi-
dionis, & expugnationis impetu, breui delendam, **IOANNIS**
MEDICES incredibilis quædam, ac prope diuina virtus,
Christianorum militum robore, vi tormentorum maxima retar-
dauit immanem exercitum, fregit, deuicit, nec multos post dies,
Barbarorum obsidione pulsa, signis amplius triginta captis, ma-
gna Turcarum occisione facta, reliquos animo consternato in fu-
gam coniecit. Cuius perillustris, gloriosissimæq; victoriæ non
negò magnam fuisse partem Germanorum audaciam, militum
fortitudinem, atque omnium Cæsaris Præfectorum singularem
virtutem, ac multò magis eximiam Diuinæ bonitatis, & in suam
causam pietatis propensionem; at nè magna fieret amissio victoriæ,
quæ tanta fuit, vt à Germanorum ceruicibus iugum duræ seruitutis
depulerit, consilio, sapientiæ, animo, ac militari prudentiæ
IOANNIS Ducis Maximi, & Inuictissimi referri debet acce-
ptum. Quid expectatis N? vt Poetarum more **MEDIOEAM**
Gloriam, perdifficili illo, & horrifico bello paratam apud Cæsa-
rem, apud Christianos Reges, & Principes, gloriosa, vt fas esset,
ac triumphante velut oratione decantem! Vt ardentes pugnas, co-
natum, stragem, insignem illam **IOANNIS** manu cladem
Barbarorum factam deprædicem! Vt Imperatoriam virtutem,

authorita
commen
per se no
ponunt
ipforum
termino
aliorum
tatione
obruunt
mortuo
noris, &
uones C
Arcem
uentim
bus vno
grauissi
tem, a
nomim
NE S
spectu
tibus,
mos la
cauit,
Turca
maui
NE B
illius
atqu
est,
tiffin
lem
& villa
pia,
NE
Tur
acie

authoritatem, felicitatem, famam ipsam celebrem tanti Ducis
commemorem? Sed quorsum ea dicendo amplificare, quae ipsa
per se nostrae contemplationi amplissima, & longè maxima pro-
ponuntur! Quorsum ea exaggerare verbis, & oratione, quae sua
ipsorum magnitudine, suo splendore, suo pondere ultra propè
terminos gloriæ celebrantur! Nam quemadmodum Solis splendor
aliorum quorumque siderum fulgorem obscurat, ita, sine assen-
tatione dico, multorum Imperatorum gloriam suo velut lumine
obruunt. IOANNIS illa victoria, quae illum modò tamen
mortuum, ad debiri triumphum lauream trahunt in Capitolium ho-
noris, & aeternitatis. Agè nunc quid de Comar celebri apud Pan-
nones Oppido! qua celeritate, qua virtute, qua constantia animi
Arcem illam nobilem, Turcarum numero innumerabili circum-
uentam, Barbarorum formidabili obsessione vallatam, militari-
bus undique instrumentis, & machinis oppugnatam, & quod
grauissimum malorum est, extrema comitatus inopia laboran-
tem, ac rerum omnium necessariorum angustijs afflictatam, eodè
nomine consilia propemodum deditiohis spectantem, IOAN-
NES Inuictissimus expedita paucorum manu, sub hostium con-
spectu, ijsq; tantam animi magnitudinem, & audaciam demirantibus,
recenti, inexpectatoq; subsidio recreauit, Defensorum ani-
mos languentes erexit, propè desperantes ad spem victoriae reuo-
cauit, atque ad obsidionem tolerandam, & propulsandos acriter
Turcarum impetus, mirificè ad auctis & animis, & viribus confir-
mauit. Nam quid cætera! An non audistis captum à IOAN-
NE Strigonium, Urbem nobilem, longèq; clarissimam, &
illi Arcem munimentis cinctam praeualidis validè expugnatam,
atque in Coesaris ditionem receptam! An non delatum ad aures
est, IOANNIS virtute Urbem illam maximam, & opulen-
tissimam, quam à regio splendore, & ornamento Alban Rega-
lem vocant, magno impetu populatam, vicos eius omnes exustos,
& villas, domos, agros, ablata praedae, & captiuorum magna co-
pia, igni, ferroq; consumptos? An non subit in mentem, IOAN-
NE M. saepenumero strenuissimè cum hostibus conflixisse, saepe
Turcarum Duces tamen formidabiles superasse, saepe Barbarorum
acies quamquam numerosas fudisse, semel immanem exercitum.

ducentorum milium, exiguo bellatorum numero profugisse.
Hæc; omnia tam multa, tam magna, tam inuictis diebus plene
non plurimis confecisse! Quamquam in eo prælio N. quod illi ob
victoriam gloriosissimum, ac fortunatissimum fuit, igneo globulo
IOANNES traiectus, suo vulnere tristiores aliquanto trium-
phum Cæsari nunciavit. Cuius sanè vulneris adhuc in caduere
mortui gloriosa testis illa victoriæ, ac **MEDICE** Anglorum
apparet cicatrix. Quid expectatis! ut dicam de Castellis, & Arce-
bus tanti Ducis consilio, & arte exædificatis! De Castello Nouo
insigni apud Pannonos Oppido **IOANNE** imperante recens
extructo! De Vienna Vrbe Clarissima, & Austriæ Principe, re-
centibus vallis, & propugnaculis aduersus Turcarum incursiones,
& impetus circum artificiosè munita! De Liburno portu in He-
truria, alijsq; Magni Ducis Florentiæ Oppidis mira vrbe vallatis?
Quid vultis, ut prædicem de gestis eius in Gallia! de opera Henri-
co Regi strenuè, fortiterq; nauata! deq; illius classe admirabili,
felici victoriarum cursu prudentissimè administrata! Ut comme-
morem, quæ, & quanta Magnorum Hetruriz Ducum nomine
Maritimus Imperator gessit! Quot Turcarum nauigia, quot Præ-
donum biremes, quot Triremes maximas cepit! Quot Oras, quot
Insulas, quot Vrbes Barbarorum inuasit, diripuit, ferro, flammaq;
vastauit? Quibus rebus effectum, ut quemadmodum olim
Romæ dicitabant, cauendum ab homine malè præiuncto, qui
Cæsar erat, ita Barbari Proverbio inter se dissiparent, à Caluo ho-
mine præcauendum, **IOANNIS MEDICES** insigne
caluitium designando. Sed mitto, mitto libenter hæc omnia, &
id genus innumera, quæ si velim singula tantum verbis recensere,
nedum laudibus exornare, dies me potius, & latera deficient,
quàm finis sit. Venio tandem, ut absoluam, ad eorum rerum ce-
lebrationem N. ad quam vestra me iam dudum vocat expectatio,
cui omnino occurrendum videtur. Intelligitis, opinor, quo de
est dicendum. Subiecistis enim vestræ cogitationi **IOANNIS**
Ducis Maximi, & Inuictissimi virtutem eximiam, sapientiam,
prouidentiam, atque animi firmitatem in Imperatorio munere ad
Forum Iulij administrando. Reuocastis in mentem, præclaram
illam, & fidelem operam, quam tot annos Serenissimæ Reipubli-

ce Vene
cum lau
sua iac
decerta
adierit
cum dis
rit. Vi
ceperat
Veneti
& amp
ferè det
spectun
decim,
mo Flo
admira
tem pu
pus no
ce mo
Ædiur
dignit
bus, a
lit erg
pietat
audac
Vrbe
Vrbe
tam qu
riosiss
nobis
qua &
quid
cisti,
per v
nè; b
poti
netis

ca Venetæ postremis bellorum motibus, excelsi, & infracti animi
cum laudatione nauauit. Ijs enim temporibus, quæ turbulentis-
sima incidere, ita IOANNIS industria, virtus, dexteritas
decertauit, vt non sine vitæ discrimine pugnae aleam frequenter
adierit, & tumultuosam, difficillimamq; Prouinciam magna
cum dignitate Senatus, suiq; nominis prædicatione administra-
rit. Videlicet dedidicisse non potuit Heros ille Optimus, quam
ceperat ab infantia propensissimam in existimationem Senatus
Veneti voluntatem. Exuisse non potuit pectus illud egregium,
& amplissimum Venetæ dignitati, & amplitudini à primis annis
ferè deuotum. Cui enim non illud egregiè cognitum, atque per-
spectum, quod IOANNES annos nactus non amplius tre-
decim, honorificentissima Legatione à Francisco Fratre Serenissi-
mo Florentiæ Duce ad Rempublicam missus, ingenti cum Orbis
admiratione, Veneto, vt sic dicam, nomini impubem illam æta-
tem publicis functionibus illustrissimis consecrauit. Cum ille ca-
ptus non tam Urbis pulchritudine, ac venustate, quàm Reipubli-
cæ moderatione, legibus, institutis, non tam Templorum,
Ædium, priuatorum, & publicorum operum amplitudine, ac
dignitate, quàm Ciuium fortitudine, prudentia, iustitia, mori-
bus, admirabile, atque inauditum ex Legatione Florentiam retu-
lit ergà Senatum, Ciues, & Urbem totam beneuolentiæ studium,
pietatis ardorem, amoris, & obseruantia charitatem, vt diceret
audacissimè, gloriosum sibi fore, ac periucundum, si liceret ea in
Urbe viuere, quæ vna esset Coeli imitatrix in Terris, & illa in
Urbe mori, cuius Incolæ ab omni Mortalium conditione abstrahi
tamquam Coelicolæ debuissent. At ecce IOANNES Glo-
riosissime, tua veluti præsigitio iminaturis planè, & importuno
nobis exitu confirmata. In ea videlicet Urbe vixisti, & obiisti, in
qua & obire, & viuere cupijsti. Vixisti gloriæ; gloriæ obiisti. Et
quidem si spectamus, quæ facere poteras, parum vixisti; si quæ fe-
cisti, satis; si præclari memoriam nominis, quam reliquisti, sem-
per victurus es: semper enim viuunt etiam mortui, qui vixerunt be-
nè; benè autem viuere ij dicendi sunt, qui in omni vita viuunt alijs
potius, quàm sibi, vt ipse fecisti; qui Germanis, Gallis, Italis, Ve-
netis, & toti Mundo vixisti. Diuinitus autem credo factum, vt in

qua Vrbe fecisti tuæ initium dignitatis, & vitæ, in ea tuæ contin-
geret terminus vitæ mortalis, & gloriæ. Sed quàm funesta hæc
N. quàm luctuosa recordatio, quæ tam grauem nobis vicem, &
obitum repræsentat. Cur enim non prolixam, atque adeo im-
mortalem vitam is viuere debuit, qui tam præstanti animo, tam
excellenti virtute, tam insigni fortitudine, tam mira etiam in om-
nes humanitate, ac beneficentia vixit! Non enim ijs solum dotibus
IOANNES ornatus fuit, quæ Imperatoriam Clamydem, &
Personam decent, quæq; vt dicebam, bellis superioribus nostra
causa sui monumenta ad æternitatem posita, seu victore Veneto-
rum exercitu Natifonem trajiciendo, seu castris hostium strenuè
oppugnandis, seu nostris ab hostili incurfione tutandis, seu Ca-
stellis, & Arcibus euincendis, seu comæntu interdicens, seu
prælijs præclare tractandis, atque alijs Imperatorijs muneribus
egregiè obeundis præstantissima exereunt. Affuerunt, affuerunt
alia innumera, quæ Paludatam illam Maiestatem adiectis diuerso-
rum generum ornamentis mirificè adornabant, quæq; ora, obtu-
tus oculos, & amorem ad se omnium rapiebant, in fronte maie-
stas, in oculis modestia, in genis verecundia, suavitas in sermone,
in omnibus summa gratia. Quæ omnia rebus, & vitæ **IOANNIS**
NIS adeo conueniebant, vt facile agnosceres in lineamentis cor-
poris, atque in expressa animi effigie singularem concordiam.
Non faciam hoc loco N. vt dicam de eius comitate, moderatione,
benignitate, de splendore domestico, de florentissima Aula non
tam nihil inuicem, & Equitum, quàm Imperatorum, & Principum,
de florentissima illa Aula, qua Henricum Regem, cum **IOANNIS**
NIS referret in Gallijs, tantopere delectatum ferunt. Dicam
vnum postremo loco, quod inter maxima **IOANNIS** **ME-**
DICES lumina, & ornamenta non leuit postremum. Tanta
animi celsitudine, & agendarum rerum dexteritate valuisse, vt
multa multorum Principum, Regumq; negotia eius fidei, supien-
tiæq; commissa, summa cum laude felicitatis obierit. Hinc Ro-
dolpho Imperatori in procurandis apud Germaniæ, & Pannoniæ
Principes non tam pecuniarum, quàm armorum subsidijs, sapien-
tia **IOANNIS** **MEDES** toties contestata. Hinc iti-
nera pro Henrico Gallorum Rege ad sociales Belgarum Principes,
sup

aliosq; R
cibus ad I
ptæ, & p
Ferdinan
Florentia
Genus S
honestat
MED
NIS
Quid pl
NEM
virtute
li Fulm
tiæ Ede
tis Exer
heu me
hoc me
menta
ME
& Ma
Ampl
toties
fit, h
nobis
luto
laudi
non
höt
Diu
ad se
ferij
per
fuit
den
Ita
qua

aliosq; Reges gloriose confecta. Hinc pro Magnis Hetruriae Du-
cibus ad Principes, Reges, Imperatores, Pontifices varia & susce-
pta, & praclare obitae Legationes. Hinc Magdalena Austriaca
Ferdinandi hac tempestate Imperatoris Maximi Soror, Cosmo
Florentiae Duci Quarto coniugio copulata, **MEDICEVM**
Genus Serenissimum Nuptijs longe Clarissimis, ac vere Regijs co-
honestatum. Hinc Henrico Quarto Gallorum Regi Maria
MEDICES in Matrimonium data, Natali Familiae **IOAN-**
NIS opera Regale omnino adiectum decus, & ornamentum.
Quid plura! Subsistam hoc elogio, quod erit satis. **IOAN-**
NEM MEDICES in Patria semper fuisse gestis, consilio,
virtute clarum; foris apud Germanos, Belgas, Gallos, Italos Bel-
li Fulmen, Specimen Maiestatis, Triumphum Fame, Beneficen-
tiae, Edem, Honestatis Aram, Munificentiae Templum, Felicitatis
Exemplar, Trophaum Virtutis, Aeternitatis, & Gloriam. At
heu me miserum, quò iam feror, N. quò rapior! Inuitum repente
hoc me funus à laudatione; hic Urbis squalor, hac omnium la-
mentatio ad querimoniam trahit. A enim **IOANNES** ille
MEDICES Dux Maximus, atque Inuictissimus, Auorum,
& Maiorum Fascibus, Scepbris, Laureis, proprijsq; Triumphis
Amplissimus, improviso nobis ereptus lethi vulnere obiit. Et cui
toties hostilis Barbarum violentia, & armorum inclementia ces-
sit, heu, vi necessitatis implacabili directus excessit. Auolauit à
nobis. Dicam verius, quo ego quidem tantisper recreor, in Coe-
lum euolauit. Etenim si cuius vita omni fuit parte honestatis, &
laudis, ac Christianae pietatis ornata, eius obitus, ut pie credimus,
non est è viuis excessus, sed è Mortalibus ad Immortales accessus,
hoc obitu **IOANNES MEDICES** non excessit, sed ad
Diuorum, & Diuorum Choros accessit. Decessit è caducis rebus,
ad sempiternas concessit. Emigravit è Terrarum sordibus, & mi-
serijs, ad Coeli lucem, & gloriam commigravit. Et huc quidem
per omnem vitam ita se **IOANNES** animo inuicto compo-
suit, ut diceret, hoc contendendum, hoc agendum in vita, ut tan-
dem ad veram vitam, qui Deus est, post hanc vitam perueniamus.
Itaque & quamdiu vixit, annos autem septem circiter, & quin-
quaginta vixit, piensissima mente, religiosissimo animo, mira-
sem-

semper in Deum, & Deiparam Virginem pietate vixit; & postremo cum lethalis morbus suam subito quodam casu violentiam prodidit, abiectis illicò rerum omnium mundanarum curis, expiata apud Sacerdotem candidissime anima, sacro se victionis instrumento, & salutari Christi Viatico communiuit. Quadrimum planè nullam ferè calamitatem morbi, nec morosam obitus diuexationem sentiens, placidissimo tamquam somno correptus, quam à Deo acceperat animam, Deo reddidit. Esitu quidem IOANNES Optime, & Inuictissime, nullam ea re iacturam felicitatis fecisti, qui tot victorijs clarissimis cumulatus, tot triumphis auctus honestissimis, tot titulis, honoribus, encomijs, virtutibusq; ornatus, ad veniores victorias, & triumphos, ad honorificentiores concessus, & titulos, ad pleniora gaudia, & gratiora elogia concessisti, quibus cum Deo frueris, & frueris in omnem æternitatem. Ibi Gloriæ, Famae, Immortalitati, ac Deo viuis, & in perpetuum viues, Glorioso Beatorum Coetu, Consortioq; receptus. Sentiant alij tuo ex obitu iacturam incredibilem; Sentit Florentiæ Ciuitas, quæ tuo interitu nobilissimum, atque augustissimum Ciuem, & Heroem amisit. Sentit MEDICEORVM Familia Serenissima, quæ pulcherrimum, atque honestissimum Germen suæ gloriæ perdidit. Sentit Italia, quæ tanto, & tam insigni splendore Principis viduata lachrymas ingentes profundit. Sentit Germania, quæ Fulmen illud Belli acerrimum, quo est vsa, deplorat extinctum. Sentit Belgium. Sentit Gallia. Sentit Orbis vniuersus, qui magnum sibi præsidium, & decus, magnum lumen, & columnam dolet esse sublatam. Præ cæteris tamen tuum dolet interitum Serenissima Venetorum Respublica, in cuius gremio velut amantis Patriæ, quæ te vnicè dilexit, coluit, diu complexa est tamquam Filium, spiritum efflauisti. Hæc præter commune incommodum, priuatam propriè iacturam conqueritur, dum repente tam inuictus, tam scientes, tam prouido, & amante Copiarum Duce, & Imperatore strenuissimo spoliatur. Quæ propterea lachrymis, & dolore habere potest præmium, quod rependat, grati animi studio, suo ære tam magnificè, tam splendide, tam religiosè, in hac Augustissima D. D. Pauli, & Ioannis Æde, his exequijs, hac laudatione,

hac po
tuum f
lentia
cum a
rum m
marm
per fo

hac pompa, hac Sacerdotum, piorumq; hominum frequentia
tuum funus exornat. Tu amabò extremum hoc singularis beneuo-
lentiae testimonium, & argumentum suae ergà te pietatis magnifi-
cum amanter sume. Atque illud in primis pone, tuorum officio-
rum memoriam in omni posteritate, non tam picturis, statuis, &
marmoribus, quàm gratis infixam animis, constantissimam sem-
per fore. Dixi, ac verius numquam dixi.

